



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Joannis Commirii E Societate Jesu Carminum Libri Tres

Commire, Jean

Lutetiæ Parisiorum, 1678

Daniel Illustrissimo Viro Claudio Pellot Rothomagensis Senatus Principi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14818

13
DANIEL

ILLUSTRISSIMO VIRO

CLAUDIO PELLOTT

ROTHOMAGENSIS SENATUS PRINCIPI.

DUM vacat, & Jani redeunt de more calendis
Otia, paxque fori tota expulit urbe clientes;
Affatus, PELLOTE, tuos novus advena poscit.
Nec dubitat quin se auratis penetralibus ultro
Accipias, prior & venienti occurrere certes:
Nam meruit, suetus mensis accumbere regum
Regius ipse nepos; & quo se munere gaudet
Esse tui similem, custos acerrimus aequi,
Divinus Daniel, sanctum ac venerabile nomen
Isacidis. Venit ille iterum defendere castos
Judice te ritus, & in impia vertere pœnas
Numina: nil unguis metuens rictusque leonum,
Quos exosa viris docuit mansuescere virtus.
Quin adeo admirans letabitur & sua factis
Esse tuis aequata, expressasque artibus artes
Egregius: solers veri & penetrabile acumen,
Ac longe eventus prudens anteire futuros;
Consilique sagax, & natum rebus agendis
Ingenium; fallique ignarum & fallere pectus.
Præcipue ille fidem dominis per iniqua probatam
Tempora, constantemque animum, infractumque periculis
Suspiciet. Quoties insano excita tumultu
Legum gens inimica, & religionis honestum
Obtendens scelerei nomen, circumstetit armis?

Cum nulla interea stricto custodia ferro
 Protegeret latus, & tardaret corpore mortem.
 Per medios ibas tamen imperterritus enses,
 Quo pietas justique haud mollia iussa vocabant
 Principis: aratas acies & inermis & unus,
 Vertere terga fuga subigens, veniamque mereri
 Supplicio auctorum. Sed nec te nulla nefandis
 Circumventa dolis, damnataque criminis insons,
 Ultorem medio Susanna in funere sensit.

Quantus enim & quanto ore tonas, perrumpere jura
 Impulerit si quem metus, aut male suada libido,
 Et favor, & donis auroque inflexa voluntas?
 Ergo & iudicium iudex timet, atque severa
 Mox acta expendenda sciens examine libra,
 Cogitur esse probus, nec tentat inutile crimen.
 Quid referam duris toties in rebus amorem
 Expertum populis? quid te mollita sequestro
 Protinus imperia, & placatas principis iras?
 Abductos turbis procul, insanoque tumultu
 Consiliis cives; auctamque laboribus urbem,
 Versamque in melius sumptu & molimine multo?
 Te stadium; PELLOTE, ingens; te Sequana franos
 Jussa pati, multoque eluta ponte paludes,
 Stagnaue trita rotis, & digesti ordine longo
 Ulmorum celebrant versus. Crescentibus illis,
 Inscripta tenera crescent in cortice laudes.
 Et jam coctilibus muris Babylona superbam,
 Aere & in medio pendentes despicit hortos,
 Rothomago visa Daniel: aulamque perosus
 Hic potius tecum requiescere gaudeat hospes.